Liber Michaelis Lemmei Salfordienses ex Johannis Piperij · 1594 · 9 Aprilis · 19

VICTORIA CHRISTIANA.

CONCIO AD CLERVM: HABITA OXONIAE ANNO Domini. 1591.

H. Parry Auctore.

OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius.

M. D. XCIIII.

BRITISH MUSEUM

NOBILISSIMO SVMMÆQVE SPEI ADOLESCENTI D. GVLIELMO HERBERTO, Cardidiæ despotæ, Illustriss. Pembrochiæ Comitis primogenito,

Henricus Parræus
S. D.

Vod ego semper solenne servo, vt à nullâ meiergà tuam clarissimam familiam officij parte mihi esse discedendum putem: id in causâ est, (Illustris Domine) *vt ista tibi nunc afferam. Audita vero hæc eadem à te iam prius, cum pro concione nonnullis abhinc elapsis mensibus florentissimos* Oxonienses *alloquerer; & nisi mihi falsus interpres ille qui in omni optimarum literarum genere tibi prauiam homo experientissimus* Sanfordus, *eâ cum attentione voluptateq; pariter sunt à te audita, quâ prorsus non meruerunt. Non tu hic tamen,* (Nobilissime adolescens,) *errabas solus. Habes enim qui in eiusdem tecum benevoli erroris societatem veniunt, complures alios maturioris ætatis iudicijq; viros, qui & valdè id à me & sæpiùs contendunt*

tendunt, vt legantur ista etiam ab omnibus, non ab Academicis audiantur modò. Quare vt in lucem prodeant aliquandò, non vlla ad hoc propensio mea, sed aliorum importuna flagitatio impulit; vt tuo autem nomini inscripta prodeant, fecit officiosa & nunquam non repetita mihi Pembrokianæ *vestræ insignis familiæ recordatio, cuius flos verè delibatus tu, & spes iure maxima. Qui enim in hac viriditate ac flore ætatis tuæ ita versas doctos, atq; in præclaras Musas te totũ abdis, vt non minùs tu animo quàm alij corporibus terras finitimas longinquasq; perlustres; totam* Italiam *Latinamq; gentem tùm antiquam illam tùm hanc recentem obeas; rectà hinc dein priscam in* Græciam *proficiscare, regiones quasq; optimas & eloquẽtes* Athenas *circumspicias; illaq; in vrbe omni scientiarũ, laude florentissimâ nũc fulminatẽ* Periclẽ, *nunc* Platonem *philosophantẽ, nunc permulcentem* Demosthenem *aures eruditæ plebis, gravibusq; sententijs seniorum mentes permoventem, nunc orationem auream fundentem* Aristotelem, *& argutulas sophistarum conclusiunculas procellâ magnarum rationũ obruentem & attentè & scienter audias: quam tu hac tuâ nobis industriâ, quam hoc impenso studio dulcissimæ patriæ tuæ populoq; & opinionem & expectationem tui ingeneras, vbi cum ætate ingenium & iudicium suã nacta fuerint iustam maturitatem? Iacta quidem à te sunt fundamenta optimè, & præclaris admodũ*

orsus

orsus es initijs. At multi præclaris initijs orsi tristes exitus habuerunt. Perficito, (illustris Domine) vt præclaris quibus orsus es initijs exitus quoque præclari respondeant. Respondebunt profecto, si quem adhuc non habes, tu nunquam habeas cessandi animum, nec mentem illam tuam diuinæ auræ particulam domi arctâ custodiâ asserves, sed emanare indies patiaris foràs, & Philosophorum inprimisque Theologorum doctas sacrásque ædes inuadere, etiam expilare. Epicuri vox illa turpis, digna porco, indigna Philosopho; Nihil esse cessatione melius. Nihil verò cessatione melius? Ne cœlum, æternam Dei domum, teq; ipsum Dominum domus æternæ æternum appello, vosque cœlites, qui vel ipsis orbibus globisq; æthereis moderamini, & stellarum perennes vertigines rotasq; vi vestra nisuq; dirigitis, vel ipsa quæcunq; alia potentis peragitis iussa imperatoris, terras & maria omnesq; cœli ingentes plagas, cum ipsi collibitum, obeuntes: quid ista vobis placeant tam longa, tam multa, tã interminata itinera? quid ille cœli stelliferi concitatus cursus expers quietis? quid tua tibi, (æterne pater,) cessationis nescia mẽs æternùm tuẽs regensq; suâ haud vnquã lassa aut defatiscente virtute hãc immẽsa mũdi molẽ tuæ dextræ magnũ opus? Qum isto igitur apud superos & agitur modo & viuitur; vt mihi te æquissimũ fore (clarissime adolescẽs,) haud dubitẽ, licet ad labores & quæq; ardua hortan-

tanti; cum cælo te ista atq; cælitibus, ipsorumq; cælitum præpotenti Domino reddatura sint quàm simillimum. Nolo te ad hæc molesta laborum itinera exemplis vel antiquis vel externis, quæ tamẽ sunt passim obvia adhuc impensiùs excitare. Recentibus fortassis magis movebere quæ & domestica sunt & tua.

Quare quod Andromache Virgiliana, *insigne hoc ad antiquam virtutem calcar* Ascanio *nobili adolescentulo esse debere existimãs, sciscitatur,* Ecquid——

"Et pater Æneas & avunculus excitat Hector?

Idem mihi laboris virtutisq; invitamentum, ab illustrissimo Comite patre tuo, & inclyto Phillippo Sidneio *quo non immeritò gloriaris avunculo, fas sit arcessere, eodemq; etiam tibi currenti calcare animos atq; impetus maiores addere. Nam & honoratissimus pater tuus iam consenescit in gravissimis negotijs quæ pro Republicâ & serenissimâ Reginâ, in illis quibus prudentissimus dynastes præsidet* Walliæ *regionibus, exhausit: & verò ille tuus nũquam sine suspirijs Musarum nominandus avunculus, primas literas, etiam armis postremas vitæ suæ partes contemptâ omni otiosulâ turbâ consecravit. Amplissimus profectò heros, atq; dignissimus cuius honoribus illa quæ & tibi mater & illi soror est nobilissima Comitissa, suâ singulari & quotidianâ operâ suaviùs velificetur.*

Illa

Illa vero quam mirabilis interea & multâ veneratione prosequenda heroina, & tibi deniq; praecellenti filio praecellens imitanda mater, cuius vigilijs & invictis laboribus sacrum illud & à fratre Phillippo *priùs inchoatum poëma* Davidicum *hoc totum debet, quòd limatum iam tandem, quòd egregio pertextum artificio, quòd suis numeris absolutum, quòd carminum omni genere ornatum* Angliæ *populares populari maternâq; linguâ alloquatur. His tu ortus radicibus, adeoq; his domesticis auctus magnis illis veréq; heroicis exemplis, illam quam ingressus es studiorum vigiliarumq; viā perpetuis laboribus decurras; quæ licet deserta videatur & inculta, & virgultis & frondibus interclusa, regia tamen est & sancta, planèq; ducta & directa ad pietatem. Hanc qui affectant, aggerem illi habent propulsandæ dæmonum hominumq; malitiæ & invidiæ magnum animum: qui declinant, inculti & horridi, dumetis vepribusq; luxuriant; segetem & fruges nullas afferunt. Quam ego tibi nunc religionis, fidei, veritatis, veraq; virtutis viam,* Christi, *Apostolorum, piorumq; omnium sanctissimis complanatam & tritam pedibus eò cupidiùs commendo, quo consultiùs tibi ab obliquis illis & fallacibus mundi diverticulis caveas, vbi Scylla, vbi Charybdis, vbi gurges Tartari, vbi Atheismi monstra & scorta* Babylonis. *Horum vbiq; agmina se densa conglobant; hæc nunc per cuniculos, nunc aperto Marte mortalibus exitium*

moliuntur: vt nisi semper sis in armis meminerisq́; vocis Christi *tui, qui in terram venit non pacem missurus sed gladium, facilè & necopinatò te obruitura sint, illamq; tibi ereptura victoriam, quæ sola thronum illum regaleq; in cælis* Christi *solium* Christi *militibus pollicetur. Quem regis nostri & servatoris cælestem thronum, vt mihi primum in votis est tibi post emensum in terris vitæ tuæ curriculũ à* Christo *in cælis dari: Ità, quò fæliciùs interim* Christo *imperatore mereas, hanc meam de pugnâ* Victoriàq; Christianâ *cõcionẽ tibi regustandam mitto. Illa mihi absenti vicariam apud te navabit operam; illa tibi hostes quos oppugnes, quibusq; oppugnes armis describet; illa quis tibi solus in hac militia dux quærẽdus, etiam quâ fide quærendus suggeret. Ecce autem quem quæras* Christus *est. Quem vt non quæras modò, sed & invenias, & habeas, & induas, & in eius sinu sis, & amores in eo deliciasq́; ponas tuas; sacro eius deniq; lateri tanto nixu hæreas, vt ab eo nunquam divellare, Ipse tibi,* (Nobilissime Domine) *qui & se & sua quærenti promittit omnia, concedat.*

Apoc.

Vincenti dabo sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & sedeo cum patre meo in throno eius.

FACIO ego non invitus & facio tamen necessariò. (Patres & fratres in Christo Domino reverendi multoq; charissimi) vt in hac celebritate vestra, oratione vtar magnarum illa quidem & admirabilium plena rerum, sed molestiarum quoq; plenissima periculorumq;, quæcunq; vspiam sint in terris maxima. Opus spissum planè & arduum ingredior, & quod vix fas aut tutũ persequi, si mihi cum ignavis mortalibus negocium, quibus vitam transire silentio optimum, & hoc vnum per omnem ætatem agere vt nihil agant. Neque enim illi quicquam non iniucundum dictu putant, nisi quod ipsum quo que factu sit facilimum, & tanquam prona pecora ventriq; obedientia invtile otium negotiis etiam vtilissimis anteponunt. Horum si cuiquam ego arma, si exercitus, si castra, si campum, si bella, si victorias narrem, fabulam certè narrem, & surdo. Ita quisq; scilicet quo magis est ad socordiam atq; inertiam corporis pessum datus, animum quoq; suum cupit atque it perditum. Quò me reddidit alacriorem & animavit magis dies hodiernus, fecitq; vt me pariter ego, atq; se Apostolus gẽ-

tium, beatum dicam, cui apud vos (Patres,) vt illi apud *Agrippam* regem, super his tantis rebus sit dicendum, vbi pro desidia labor, pro lubidine & ignavia industria atq; virtus regnant. Ergo operæ nunc parcam multùm meę & vestræ quoq;, quam nullam vellem; ne sit multa, multùm parcam molestiæ. Neque illa proæmiorum aucupia adhibebo, quibus plerique ad difficilem quamque causam perorandam solent sibi munire viam, & non satis attentis auribus doctè insidiari. Non est hoc vestri meriti, non est mei instituti, non est tantæ causæ, non est huius loci, vbi *Christi*, non mundi sapientia iure dominatur. Quæso vos igitur vt *Christo* adsitis animis loquenti, & illius verba, qui ipse æternum patris verbum est, attente audiatis.

Ille enim hæc vobis exhaurienda negocia imperat, ad hos ille labores & pugnas, ad hæc ille vos bella vocat; ille à vobis victoriam expectat, & vicissim immortalem vobis thronum adpromittit. Quod si verò pendeatis hìc animi parumper & vobiscum vos cogitetis hæsitantes, qualisnam illa tandem paranda sit victoria, qualis quoq; thronus ille in quo sedendum vincentibus, & quo etiam pacto possit vel illud à vobis præstari quod expectat, vel hoc ab ipso dari quod promittit; non patitur has tenebras lux mundi,

neque

neque patitur hoc amor eius vt quod ſolicitè cogitatis etiam diu cogitetis, ſed vtrumque vobis confeſtim eximit de mentibus ſcrupulum, & omnis dubitationis diſpulſâ caligine vtrumque commonſtrat. Neque enim aliud (opinor) quicquam nobis, ſi rectè interpretamur, loquuntur iſta *Chriſti* verba (Sicut ego vici & ſedeo cum patre meo in throno eius) quàm vtriuſque adipiſcendi & modum & poteſtatem. Nam & eo nobis modo tum vincendum in terris, tum ſedendum in cœlis, quo ipſe in terris vicit & in cœlis ſedet, & porrò idcircò vincendi regnandique nobis non defore poteſtatem, quia ipſe & vicit & regnat, verbis his pauciſsimis quidem, ſed certiſsimis tamen confirmavit. Hæc mihi fas ſit verba *Chriſti* atque ſententiam apud vos evolvere; & primùm certè de victoria *Chriſti* & patris throno, poſtremò de noſtris loco dicere. Quamprimùm enim illa *Chriſti* conſtiterint, erit in proclivi quid nos de noſtris demùm ſtatuamus.

Quin *Chriſtum* igitur vincentem, deindeque in throno patris ſedentem contemplemur. At victi hoſtes, vbi vires & arma? qui victi? Ab his nobis ordiendum initiis; & ſi victorem *Chriſtum* cupido conſpicere, ſunt victi hoſtes & arma victricia conquirenda. Pergimus verò in immenſum,

nec

nec vſpiam gradus ſiſtimus ſi in *Chriſti* hoſtes ſigillatim incurrat oratio, in illiſque articulatè percenſendis elaboret. In illum enim vnum tota armata terra eſt, armatus Tartara, homines, dæmones, mundus vniverſus. *Mundus me odit:* ipſe dixit cuius teſtimonium verum eſt, & qui ipſe fecit mundum. Serpentis hoc ſemen eſt, quod inter & ſemen mulieris in illis gentis noſtræ incunabulis inimicitias ille poſuit immortales qui mundi fundamenta poſuit. Eſt ad has Creatoris voces excitatus Serpens verſutiſsimus, neque in ſuo vnquam delitescens conquieſcit latibulo, ſed inſtar rugientis leonis obambulat, vbiquè mactans vbiquè devorans, & quæ fando dici non poſſunt vbiquè patrans immania. Huius quoque quoniam tanti adverſus *Chriſtum* dux eſt exercitus, & infeſti princeps mundi, vires nobis diſpiciendę ſunt, vt ſic denique quibus *Chriſtus* viribus & armis victor evaſerit, comperiamus. Ducis enim ſui fretus viribus tanta mundus audet facinora, quæ ſimulac contritæ fuerint & profligatæ, abiicit mundus haſtam totuſquè in fugam vertitur. Quare vt olim *Philiſtæi* proceres, qui *Samſonem* victum tantopere cupiebant, hoc vnum in votis habebant ediſcere, vnumque hoc improbæ fœminæ in

Joh 7.7.
Joh.1.

Jud.16.

manda-

mandatis dabant vt expiscaretur, *Vnde illa Samsoni magnæ vires:* ita nos quoque qui victum dæmonem avemus intueri istæc capiat oportet solicitudo, Vnde dæmonum vires tantæ sucreverint. Non erit nobis quidem vt *Philistæis* opus ad hæc abuti scelestæ mulieris turpi proditione: scripturę nos sacræ opem implorabimus, & quod vnicum nobis abyssum Satanę densarumque profunda tenebrarum recludat, verbum altissimi consulemus. Isto enim duce nobis præeunte viam, offerunt se statim cadavera, offerunt sepulchra, offerunt non corpora modò sed (horribile dictu) animę etiam demortuę, ipsa se deniq; mors obiicit, in cuius infinitis funeribus Satan ille princeps mundi tripudiat. At quare tripudiat? quia penes illum omne est imperium mortis, si ipsi credendum veritati, quę ita per *Apostolum Hebræos* edocet: *Mortis ille auctus viribus præliatur contra genus nostrum, morte stipatus tantam nobis iniecit sui formidinem.* Hebr. cap. 2. Cæterum nulla cum ipso creata mundo mors in mundo extitit; sed peccatum primum introiit in mundum, & per peccatum mors. Rom. 5. 12. Ergo imperium, vndo hæc tanta Satanæ potentia & vires tantæ, peccati primum fuit, tum mortis; neque potis ille fuisset morte quemquam afficere, nisi etiam peccato inficere priùs valuisset.

Et

Et hoc ille prorsùs ab initio. Nam ab initio peccasse diabolum loquuntur scripta Apostolica, eaque re ab initio homicidam quoque fuisse *Christus* apertè denunciat, vt qui fœda peccati labe infecerit primum hominem, adeoque illum morte etiam affecerit turpissimâ.

1. Ioh. 3. Ioh. 8.

Fuerunt fateor, aliquandò tempora, illa perquidem brevia, fuerunt tamen, cùm liberum homini resistere, cumque in illum antiquus Serpens *aculeum hunc stimulum q; mortis*, peccatum, nisi ipso volente & annuente, frustrà emisisset. At vbi nostro demùm sic collibitum parēti lethalem istum suum in corpus aculeum recipere, quantula nobis tenellis posteris repugnandi aut spes aut vis superstes? Quare omnes fracti succumbimus, quia peccato, hoc est mortis stimulo compuncti omnes. *Omnes enim peccaverunt; deflexerunt omnes; non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* Iudæi, Græci, servi, liberi, masculi, fœminæ, sub peccato omnes, quia *sub peccato conclusit scriptura omnia*, itaque etiam sub morte. *Ita enim per vnum hominem in omnes mors transiit, in quo omnes peccârunt.* Credo vobis nunc apertum esse, vnde princeps mundi, antiquissimus ille atque astutissimus iuxtà Serpens ità terrâ & mari potens pollensque fuerit. Vis

1. Cor. 15. 56

Rom. 3. 12.

Gal. 3. 22. Rom. 5. 12.

illi

illi omnis in aculeo; aculeus autem illi peccatum; quod eam Apostolus ob causam *aculeum mortis* appellat, quia Serpens *ad quem imperium & potestas mortis spectat*, sicut idem & *Hebræos* & nos Apostolus iam docuit, aculeo non alio quàm peccato armatus, totum illud imperium potestatemque mortis est assequutus. Huius enim œstro concitatus sedes invasit superas, vim & manus attulit cęlestibus, & audax apostata in intactas sacrasq; optimi maximi Creatoris possessiones nefandis conatibus involavit. Non est satis. Invitati ad hæc flagitia de cælitibus ipsis non pauci, nec invitati modò sed et pertracti & perditi, iustissimo vindice exigente illos cælorum finibus, atq; infrà inferos deturbante. Memorare possem, vt post relictos cœlos, ferox conscientiâ scelerum nostræque gentis invidiâ, his solis peccati confisus copijs, ad immoderata omnia atque incredibilia se in terris profuderit; ni ea res longiùs me ab instituto traheret. Sed profectò ita sunt in hoc genere exemplorum plena omnia, vt in quæcunque loca inciderim, in aliquam historiam mirè istis quæ a me sunt dicta faventem, sit necesse vestigium defigere. Nam si *Paradisum* & illum beatum *Hedenis* hortum fas cogitare, quem per *Cherubinos* mucronemque vi-

1. Cor. 15. Heb. 2. 14.

brantis

brantis gladij non fas est ingredi; quid nobis aliud illius solitudo vastitasquè loquitur, quàm peccati, hoc est Serpētis aculei potentem tyrannidem? Mittamus hortum illum, ex quo cum collapsis parentibus nos emittimur, & terram reliquam in quam eiecti, perlustremus. Quæ hic fusæ a Serpente mortalium copiæ, quæ spolia, quæ trophæa, quot captarum millia animarum, quibus onustus ille vbique triumphat? Tacebo damnata gehennæ mancipia, in illisquè hærebo solis qui ipsi Deo hærent in visceribus dilecti. Et verò ex his ille, nunc sanctissimos patres ad incesta, nunc fidelissimos Prophetas ad mēdacia, nunc iustissimos principes ad duplicata homicidij pariter atque adulterii scelera, nunc beatissimos Apostolos ad violandam fidei ac iurisiurandi religionem inflexit atqne impulit. Postremò, non est reveritus membra nostra in nos seditiosiùs concitare, illaquè vt *arma iniustitiæ peccato sistere*, hisquè modis eniti, vt totum hoc quo convestimur corpus, nihil aliud sit quàm *mortis corpus*, *ex quo ereptum se miserum hominem Paulus* Apostolus religiosis gentibus peroptavit. Certè hæc malitiosus Serpens in patres, in Prophetas, in principes, in Apostolos, in membra corporis nostri, in corpus deniq; nostrum vniversum, vno peccato tanquam aculeo

Rom. 6, 13.

Rom. 7. 24.

culeo suo in humanis mentibus relicto talia atq; tanta commisit.

Vidimus imò sensimus, (fratres) vires Satanę, Serpentis aculeum. Si *Christi* nunc arma victrici in vobis cordi dispicere, illa certè quę renda quibus hic aculeus aut evellatur penitus, aut ita retundatur saltem, vt vel nè vulneret quidem, vel si vulneret, tamen non occidat. Non hæc primus homo de terra terrenus *Adamus*, nec vero *Adami* de tanta sobole quisquam qui ab *Adamo* totus oriundus est, potest suppeditare. Illos enim ad vnum omnes, quia peccârunt cum *Adamo* omnes, esse quoque cum *Adamo* mortuos, literæ Apostolicę nobis luculentè prodiderunt. Horum igitur si opem flagitemus, quid aliud fuerit quam verba mortuo facere? Omninò non flagitamus. Ergonè cælestes tentandi incolæ, & cum inferos nequicquam moverimus, flectemus superos? At quos superos? Nam ex illis etiam superis spiritibus Angelisque Dei procidisse multos hoc confixos aculeo cognoscimus; & verò qui adhuc fretum magis proposito numine confirmati invictique æternum stant, sibi tamen stant non nobis, neque ita valentes sunt, vt vel vnam quidem animulam ab hoc Serpentis aculeo possint liberare. Hanc mihi spero impertietis ve-

veniam (fratres) dum ego compendio afferam quid causæ sit, quare non quisquam Angelorum, non ille omnium Angelorum vtut numerosæ invictæq; legiones vnâ animulam Satanici aculei, id est peccati potestati possint eripere. Illud enim vbi perspectum nobis, arma quoque illa, quibus hæc domita atque subacta potestas comparebunt. Habebimus hoc nos perspectissimum, modò viderimus quale sit id demùm quod hâc peccatũ armavit potestate quâ hominibus mortem afferat vniversis. Peccato, me vagemur longius, hanc necis in omnes potestatem lex fecit & patissimum mandatum Dei.
Rom 7.8. *Nam absq; lege peccatum mortuum; Vis autem*
1.Cor.15.56. *peccati lex.* Neque enim illa fatalis arbor a primis parentibus degustata illis ita exitiosa fuisset, nisi lex priùs decretumque Altissimi & vetuisset degustandam, & degustanti mortem denunciasset; *Ne comedas: nam quo*
Gen.2.17. *die comederis vtiq; morieris.* Vultis suam peccato ereptam potestatem? legem, ne hanc illi permittat, exorate. Inexorabilis lex omnibus, qui non satisfaciunt legi: satis verò legi facere non possunt mortis pœnas reposcenti, nisi mortis qui pœnas possint persolvere. Quare vt Serpenti aculeus suus; peccatum, peccato potestas sua, mors, eripiatur, non vlla in hoc vniversi armamentario

præter mortem ipsam arma sumenda. Morte enim sola mors vincitur, neque à morte alia quam per mortem via est. Mortem hominibus ferendam cęlestes Angeli, homines cum non sint, non possunt ferre. Neque verò etiam vt sint homines, morti infinitę, qualem infiniti atque immensi Creatoris violata lex postulat, finitæ creaturæ cum sint, suffecerint. Nam cùm illa sola mors verè infinita dicenda sit, quæ aut perennitate temporum, aut dolorum magnitudine est infinita; infinitam hanc doloribus mortem non capiunt certè finiti circumscriptionę pectoris angustiæ; & illam alteram porrò quæ est tempore infinita patiantur licet, sed frustrà tamen patientur. Non enim illa quæ per omnes infinitates temporum duratura mors est vnquam victrix elabitur, sed perpetuis constricta vinclis æternùm victa manet. Atqui in ea nos pervestiganda morte toti sumus, quæ vincat non vincatur, & hanc omnium seculorum temporumquè mortem superet. Vna hoc potest, quæ vna superest mors doloribus infinita; quæ quoniam læsæ infiniti Creatoris maiestati satis affatimque faciat, non est igitur infinito tempore duratura; cum nihil opus vtroque sed alterutro mortis genere vt vindicantis numinis satisfiat iustissimæ voluntati. Æquum enim at-

que iustum est, vt cum infinitis doloribus expiatum sit infinitum læsæ diuinæ maiestatis crimen, nulla deinceps recentium tormentorum fiat accessio, sed prioribus potius solutis doloribus emittatur victor qui patitur.

At quantus ille & vbi futurus qui patitur? Non ille paradisi primus incola, non qui illo solo sati patre mortali mortales posteri, qui omnes peccatores mortui; non admirandi cælites, sanctissimi Angeli, tum quia expertes corporum omninò non sunt homines, tum etiam quia finitæ cum sint conditionis & naturę, infinitæ doloribus morti ferendę non sufficiant. Vbi igitur locorum gentiumvè dispiciendus ille, cui hic stringendus gladius, hæcquè arma induenda sunt? Vbi qui iure & merito sit suo dignus hanc obire mortem, qua mundi princeps Satan, qua vis & robur Satanę peccatum, qua peccati tyrannis vnica mors ipsa expugnetur, ab illaq; liberentur tot victa & capta millia hominum, quibus hâc geminâ admotâ machinâ superbè Satan improbissimus planus dominatur?

Apoc. 5. Nostis dilectum *Christi* Apostolum in *Apocalypsi*, cum audisset de *libro intùs & à tergo scripto septemq; sigillis obsignato fortem Angelum prædicantem voce magna, Quis est dignus*

qui

qui aperiat librum & ſolvat eius ſigilla, nec vi-
diſſet quenquam qui poſſet, neq; in cœlo, neq; in ter-
ra, neq; ſubter terram aperire librum, neq; e-
um inſpicere, fleviſſe multùm, quòd nemo dignus in
ventus eſſet qui aperiret & legeret librum, nec
qui eum inſpiceret: tum ex ſenioribus illis qui
adorabant inſidentem throno, vnum flenti Apo-
ſtolo dixiſſe, Ne fleto; Ecce vicit leo ille de tri-
bu Iuda ſtirps illa Davidis, vt aperiat librum &
ſolvat ſeptem eius ſigilla; aſpexiſſe igitur Apo-
ſtolum, & ecce inter thronum & quatuor anima-
lia & inter ſeniores illos Agnum ſtantem tan-
quam mactatum, qui venit & accepit librum aper-
uitq; & ſigilla ſolvit. Noſtra porrò huius Apoſtoli ſimillima atquè maximè gemina ratio eſt; quibus quærentibus, quis dignus qui librum mortis aperiat & legat, eiuſque dolores tanquam ſigilla ſolvat, non quiſquam occurrit qui aut in cœlo aut in terra aut ſubter terram aperire poſſet & ſolvere. Nihil propius hìc quam vt ad lamenta & lachrymas cum eodem nos Apoſtolo abeamus, niſi vt illi, ita nobis adeſſet, qui animis iuberet nos eſſe melioribus, diceretq; illa pleniſsima ſolatij verba, Ne flete; ecce vicit leo ille de tribu *Iuda*, ſtirps illa *Davidis* vt aperiat hunc mortis librum & eius ſigilla omnia dolores omnes ſolvat. At quis ille de tribu *Iuda* leo? quæ ſtirps illa *Davidica*?

Aſpicite modò vos, fratres, vt aſpexit Apoſtolus, iiſque, quibus ille, fidelibus oculis aſpicite; & ecce vobis Agnum ſtantem tanquam mactatum, ad quem vos ille ab *Eſaia* & *Malachia* Prophetis tot ante ſecula cantatus *Angelus præcurſorque Domini* Baptiſta deducit intento digito, acclamatque, *Ecce Agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi*. Peccatum mundi tollit Agnus, ſed mactatus, ſed crucifixus, ſed mortuus.

Eſa 40. 3. *Mal.* 3. 1. *Ioh.* 1. 29.

Atque his quaſi gradibus nos, ab illis qui ſublati ſunt victique hoſtibus, ad arma victricia, & à victricibus armis ad *Chriſtum* victorem, qui ſolus his & vti & vincere & norit & potuerit, pervenimus. Cùm enim doloribus infinitam eſſe mortem eam oporteat quæ vincat, eaque re illum & hominem eſſe qui hanc patiatur mortem, & qui infinitam patiatur infinitum, etſi non quà infinitus patiatur; cumque præter Deum nemo ſit infinitus, nec in perſonis Dei quæpiam homo ſit præter *verbum* Dei quod ipſum *caro factum eſt* & homo: ſumus certè ingratiſsimi atque turpiter improbi, ſi has partes & laudes, quas ſolus *Chriſtus* eſt promeritus, ſoli *Chriſto* non deferamus. Solus enim ille Deus & homo *Ieſus Chriſtus*, Patre ſatus immortali Deo Deus immorta-

Ioh. 1. 14.

-lis; Patre etiam orundus mortali homine mortalis homo, qui (ita illum illustribus Prophetis pangente expingenteque *Esaia*) venit ex *Edomæa* rubidus vestibus, peragransque amplitudine virium suarum omnia torcular calcavit solus, suo solo sibi salutem afferente brachio, cùm nullum intueretur subvenientem adiutorem & obstupesceret.

Quid enim? Illisne in vmbratilibus legis hostiis taurorumq; & hircorũ stragibus quicquam opis subsidiive putemus, quo immensi numinis offensa & irata maiestas placari queat, propitiaquè in gratiam cum peccatoribus redire? *Infirma* hæc vero *& egena elementa mundi* sunt. *Satur iamdiu his holocaustis arietum, & adipe pinguium & sanguine iuvencorum, agnorumq; & hircorum Deus non delectatur.* Gal.4.9. Es.1.11.

Vnus illum delectat *filius* ille suus *dilectus, in quo quidem se acquieſcere* voce cælitus delapsâ fecit testatissimum. Ergo *ecce adsum*, affatur clementissimum patrem benignissimus filius, *quia corpus aptasti mihi, hostias verò pro peccato non approbavisti, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.* Et multo certè hoc maximè factu fuerit necessarium illi, cui peccata mundi tollenda expugnata morte & mortis mundiq; principe Mat.3.17 He.10.7

prostrato Satana. Vbi enim in corpus humanum ille aculeus mortis, peccatum, suas mortiferas vires exeruisset, humanum is quoq; qui hunc vincat mortis aculeum, induat corpus naturamque oportet, hoc assentiente nobis in illis quæ ad Hebræos scripsit Apostolo,

Heb. 2. Ver. 14. *vt eiusdem cum reliquis hominibus carnis & sanguinis factus particeps, per mortem aboleat eum qui mortis imperium habet, hoc est, diabolum.*

Si qui sunt autem qui hanc mortem quam perpessus est *Christus*, paucularum horarum fuisse autumant, aut vero dierum, aut etiam hebdomadum, ac non potius mensium, non annorum, non totius deniq; vitę ætatisq; in terris *Christi*, nę illi animos ad durissima solũ & vltima *Christi* mortis referunt, cęteras eius partes & numero multas illas quidem parùm attentè considerant. Non enim fuit, mihi credite, non fuit a concepto *Christo* in virginis vtero, ad excitatum *Christum* & è terrę vtero resurgentem vlla dies, non hora, non horæ momentum aut punctulum vllum, quo non aliquam saltem huius mortis particulam obiisse seruator iure censeatur. Nam quòd tanto tempore instar mortalium peccatorum mortalis mulieris inclusus visceribus delituerit, quòd statim ac in lucem editus nunc proiectus in præsepe, nunc iectus

fluc in *Ægyptum*, odiisque expetitus tyrannicis, nunc diabolicis insidiis in deserto, nunc *Pharisaicis* malitiis in vrbe atque in agro expositus huc illuc oberrârit, ac nè idipsum quidem quod cœli volucribus & terræ pecudibus datum, vbi caput reclinaret habuerit; quòd denique omnes miserias ærumnasquè per omnem vitam senserit, quas aut princeps mundi aut a suo concitatus principe mundus posset cuiquam machinari, fueritque nobis miseris vno excepto peccato per omnia similis: quid hæc aliud conclamant omnia, quàm vt nos, ita illum quoque nullâ non in vitæ parte plagâ mortis aliquâ fuisse conflictatum?

At non eo quo solemus nos animo hæc tulit *Christus* vulnera. Libens ille hæc & volens, nos inviti; ille pius in Deum, in hostes etiam benignus; in hostes crudeles nos, etiam in Deum blasphemi: ille mali nihil meritus, mala passus tamen pro nobis omnia mente optima atque mitissima; nos qui mala meriti sumus omnia, non tantulum sanè mali, nisi obloquentes, nisi imprecantes patimur. Quare nos fugati sæpius victiquè de statione deiicimur: ille sibi per omnia invictâ constans patientiâ, *factusquè in omnibus patri obediens etiam* Phi. 2. 8.

Ephes.4.8. *ad mortem, mortem autem crucis, victor ascendit in sublime captivamq; ducit captivitatem*; & in magni patris throno æternos agens ex inimicis triumphos considet.

Huc illum nos etiam, quò expectatio vestra, quò officii nostri cogitata ratio, quò verba *Christi* vocant, oratione nostra reverenter prosequamur. Ipsa enim *Christi* purissima verba quæ evolvimus, & quibus insistimus interpretes, vincenti *Christo* paternum in cœlis thronum cumprimis deferunt. Mirè vero hallucinabimur hìc nos aberrantes à vero, si hunc cœlestem patris thronum ad mortalium iudicum regúmve quantumvis potentissimorum augustissima solia exigamus.

Tenuiora hæc sunt & impendiò magis exilia, quàm quibuscum Dei interminata gloria & immensa maiestas componatur. Hanc ego si apertiùs me vobis descripturum reciperem, meo confisus acumine & ingenio, ridiculè prorsus reciperem atque vanissimè, qui neque me neque illam norim, quâ prætereunte *Elias* tantus Propheta suam togâ obvolvit faciem, & amicus ille Dei sanctissimus *Moses* in rupis cavitate divina tectus manu absconditur. Ergo ego vt taceam, cognoscetis a me, aut si cognoscitis, mecum recognoscetis saltem illam *Si-*

moni-

monidis (hominis qui ſolus de Deo recte reſponderit quòd nunquam reſponderit) de ſeipſo ſalutarem planiſsimamque confeſsionem, *ſapiſsime eius ſe quòd dixiſſet pœnituiſſe, nunquam quòd tacuiſſet*. At non licet. Quare mihi loquendum ego ſed vt ille Philoſophandum, paucis ſentio; & ita quidem paucis, vt nec meis illis loquar, nec eis, quæ non *Chriſtus & Chriſti* ſpiritus, & *Chriſti* ſervi Apoſtoli ſuggerant: Quis enim de throno gloriaque patris certiora nobis referat quam *Chriſtus* filius, cuius correptus ſpiritu aſcendit Apoſtolus iuſſus in ſublimia, viditque thronum hunc magnum & candidum, cuius in circuitu iris ſimilis ſmaragdo, è quo etiam prodibant fulgura & tonitrua & voces; ſeptem ante illum lampades igneæ ardentes, Dei ſeptem ſpiritus, & mare vitreum ſimile chryſtallo; quatuor illum ambientia animalia quæ die & nocte ſine intermiſsione clamabant, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus ille omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt, omnemque gloriam & honorem & gratiarum actionem tribuebant; procidentibus intereà ante illum viginti quatuor ſeniori-
bus & adorantibus, coronaſque ſuas abiicientibus ante thronum, atque dicentibus, dignus es Domine qui accipias gloriam, & hono-

Apoc. 20.

Apoc. 4.

honorem, & virtutem. Hic patris thronus, hæc gloria. Christi verò non minor; quem idem vidit Apostolus ab animalibus illis & senioribus paribus votis adoratum. Nam dulcissima est audita synodia multorum millium Angelorum voce magna clamantium, *Dignus est Agnus ille mactatus, qui accipiat virtutem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Omnis postremò creatura quæ in cœlo, & quæ super terram, & quæ sub terra, & quę sunt in mari omnia, benedictionem, & honorem, & gloriam, & robur in secula seculorum, eodem quoque audiente Apostolo, cecinerunt. Quibus cecinerunt? Sessori throni, & Agno, hoc est, Deo patri & Christo.

Hæc si spissa vobis videantur & cæca, & obscuris quasi velata ænigmatis; meminerítis, quæso, qui sitis, & vbi versemini. Non in cœlis vos adhuc degitis; terra est quam incolitis mortalem mortales; & hanc quidem non apud Dominum habitantes, sed *à Domino peregrè absentes* incolitis, *per fidem, non per aspectum incedentes, per speculum denique & ænigma, hanc gloriam Domini, non affulgente promissa illa plenâque seculi futuri luce intuentes.* Nihilò tamen magis nos intereà ad isthæc enucleanda dubia *Sphyngem* desideramus

2.Cor.5.6.7

1.Cor.13.12

in-

interpretem, ſed ſpiritum, quo illuceſcente non hunc thronum patris atque ſeſſionem in throno hanc tanquam terreni iudicis regiſque inſignia, ſed vt cœleſtis eius poteſtatis, (qua apud patrem amplificatus Chriſtus omnia, ſumma, media, infima, ipſos etiam reges regat & iudices iudicet) conſignata ſymbola amplectimur. Et verò vt quæ libenter amplectimur, etiam neceſſariò amplectamur, facit nubes illa tot myriadum teſtium omni exceptione maiorum, tum in cœlis, tum in terris, tum ſub terris, proiicientium ſe coram *Chriſto*, nulla non adhibita honorificentiſsima appellatione. Quid autem aliud hæc officioſa & proſtrata turba geſtu verbiſque prædicat ſupplicibus, quam quæ *Chriſtus* & ille ad cœlum raptus tertium *Paulus* Apoſtolus identidem ingeminant? Quoties enim *ſibi Chriſtus iudicium omne datum a patre*; quoties *ſe claves habere inferorum & mortis, etiamque Davidis clavem qua aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*; quoties *venturum ſe narret cum gloria patris ſui & cum Angelis ſuis, atque redditurum vnicuique ſecundum opera*; quoties porro *Paulus* Apoſtolus hæc aſſentiatur illi omnia, & *ſubijci* inſuper *a patre pedibus eius omnia, a quo dona-*

Joh 5.22.
Apoc. 1.18.
Apoc. 3.3.
Mat. 16.27.

Ep.1.21.22. Phi.2.10. *donatum ei quoque nomen quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & subterraneorum*, subdito ipsi longè lateque omni imperio ac potestate, & potentia, & dominio, & omni nomine quod nominatur non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro: toties mihi vterque videtur deditâ operâ, se impertivisse nobis prolixum interpretem, vt quis thronus patris, in eoquè *Christus* quantus sedeat intelligamus. Quibus nos igitur tantis autoribus instructi satis iam agnoscimus eundem *Christum* in throno patris sedentem mundi regem atque iudicem, quem priùs pugnantem in scabello patris victorem mundi vidimus. Maiori nunc spe atque animo ingredior in reliquam orationem, postquam hoc semel anticipatum & informatum in animis habeatis, in eâ me victoris mundi, etiam regis & iudicis mundi verbis vos alloqui. Idem enim ille est qui vicit sedetquè in throno patris sui, & qui vos etiam iubet vincere, atque sedem vincentibus in throno suo simillimè pollicetur. Cuius mihi amplissima legatione apud vos fungenti nō datur, quod illi olim *Romano Fabio* ad *Carthaginensem* profecto senatum, ita vtrumque in gremio bellum iuxtà atque pacem complecti, vt arbitratu meo simul & ve-

stro

ſtro alterutrum offerre poſsim volentibus.

Ille enim quia vtrumque potuit, vtrumque obtulit; mihi, cui belli omne nullum pacis impoſitum eſt negotium, liceat illo de bello dicere, non quod contrà vos *Chriſto*, vt contrà *Pœnos Romano*, ſed quod pro *Chriſto* vobis & meditandum & gerendum eſt. Equidem non diffiteor eſſe pacis dulce nomen, rem verò ipſam iucundam, quâ non modo ij quibus natura ſenſum dedit, ſed agri etiam atque tecta lætantur. Quam niſi nos quoquè cum omnibus pro virili noſtra parte ſectemur, non ſumus Apoſtolo neque ſpiritui ſancto dicto audientes. Nihilo ſecius tamen videndum nobis, quod & *Romanis* patribus *Romanæ* pater eloquentiæ videndum conſuluit, cum omnibusnè pax eſſe poſsit, an ſit aliquod bellum inexpiabile, in quo pactio pacis lex ſit ſeruitutis. Profectò nunquam in tam mendaci hyperbole deliteſcet oratio noſtra, vt iniuſtiſsimam pacem bello etiam iuſtiſsimo anteferat. Nam aut honeſta pax, aut bellum neceſſarium eſt. Ità porrò hoc cui ego nunc faveo bellum neceſſarium, ità illa inhoneſta pax quam repudio, vt etiam ille qui adeo amans pacis fuit, vt vitam pro hac ſuam animamque profuderit, illam alteram *ſuis pacem non dederit, ne voluerit quidem, cum iam relictis ſuis adpa-*

Rom. 12. Heb. 12.

Ci. Philip. 13.

trem

Est enim aperte professus *se non venisse ad-*
Mat.10.34 *lam missurum pacem in terram, sed gladium* potius qui bello illam atque vi tolleret. Quidni autem tolleret illam quæ *Adamo* parenti nostro nostrisque posteris cum diabolo principe mundi & mundo fuit, qui & *Christum* &
Joh.15.18. qui sunt *Christi* odit. Non enim *se vnum, sed*
19. *& quos elegit ex mundo omnes, mundo exosos testatur Christus, & ea quidem re exosos, quoniam ab ipso ex mundo sunt electi.* Quare quæ quondam tria potissimum impulerunt *Marcum Tullium*, quamvis pacis semper amator
Cic.Phil.7. semper autor erat, vt noluerit pacem tamen cum *Antonio*; ea nos quoque commo-
Matt. 5.9. neant omnia, licet *beatos cum Christo pacificos* prædicemus, vt hanc tamen cum mundo pacem nolimus, quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quid enim turpius omnique dedecore magis contaminatum, quàm qui membra *Christi* sunt, se quadrupedum instar prosternere ad abiecta omnia atque vilia, & dæmonibus mundique rabulis deservire? Deserviunt qui pacem cum mundo colunt. Periculorum porrò quid plenius, quam vafris & subdolis nebulonibus qui amplectuntur vt strangulent, & cum prodigioso Apostata osculantur vt prodant, se adiungere? Adiungunt, qui mundi fami-

lia

liaritates deliciasque consectantur. Quid denique minùs aut esse aut sperari potest, quàm constans, aut vero ad vnam duratura dieculam cum illis societas, quibus & morum & animorum studiis & toto vitæ genere præbent se dissimiles? Dissimiles omninò illi se mundo præbeant oportet, qui *Christo* luci mundi obnixè studeant, cui mundus, dum tenebras quàm lucem magis amat, minus favet. Ergo nisi consilio turpiter labamur, si pace cum *Christo* qui *Pax est nostra* frui volumus, gerendum cum mundo bellum est; hoc si bellum negligimus, illa pace nunquam fruemur. In throno enim *Christi* non sedebunt pacis gloriæque *Christi* participes, qui non priùs belli etiam militiæque *Christi* consortes mundum vicerint. At quem mundum, quo duce, quibus copiis, quantoque instructum exercitu? Nobis infirmis contra fortes, pauperibus contra divites, stultis mundi contra mundi sapientes, *carni & sanguini contra imperia, contra potestates, contra tenebrarum seculi huius principes, contra sublimia, contra homines & dæmones infinitos & potentes pugnandum est.* Hìc nos simus animosi, simus fidentes, quibus hæc vna salus miseris salutem sperare nullam? Quin potius cum meticuloso *Elisæi* homulo, istis dum nos cernimus copiis & curribus & *Eph.6.12.* *2.Re.6.15.*

equis circundatos, vociferemur, *eheu mi Domine quid faciemus?* Tot vbi in nos inermes armata millia, perimus. Et pereamus sanè; quid hæremus tamen animis degeneres, ac non cupidiùs pro *Christo* morimur amico, qui pro nobis & inimicis quidem suis est mortuus, & pari alacritate exponimus animas nostras pro servatore nostro, atque suam suo pro populo exposuit *Estera* princeps magnanima? *& si perimus, perimus.* Esth. 4 16.

Gratias vero agimus immortales immortali Deo patri Domini nostri *Iesu Christi*, qui nos in has angustias cogi cōpellivè non finit, neque certè illa viscera misericordiæ benignitatisque suæ, quæ ampla sensit priscis temporibus *Israel*, nos simul in hac senecta mundi non amplissima experimur. Nam in isto spirituali & acri bello, quod nobis cum spirituali *Pharaone* eiusquè exercitu, tenebrarum principe & mundo gerendum est, (aperiat modò nobis sicut *Elisæi* puero oculos Iehova) videbimus nos quoque equos curruscque igneos nobis ab omni parte subsidio venientes. Nostris enim in castris potentissimi Angeli stationem agunt, etiam in corporibus nostris tanquam in castris suis sacer Dei spiritus excubat, quo excubante nubes & venti, fluctus & maria (experti

ti loquimur) terra & ipsa terræ saxa nobis fœderata militant. Non verò, vt veteris *Israëlus* populus, ita nos *Mosis*, qui quanquam fidelis famulus, famulus tamen, manu atque imperio ducti dimicamus. *Christo* nos & duce & auspice ad bella pergimus, qui non vt famulus sed *vt filius domui suæ præest, cuius domus sumus nos, si fiduciam & spem illam de qua gloriamur, ad finem usque firmam tenuerimus*. Non denique vnius *Mosis* conservi nostri verbis erigimur populum suum animantis in *Ægyptios*, Ne timete, consistite & spectate salutem Iehovæ quam edet vobis hodie; sed multò magis illius, qui & *Mosis* Dominus est & noster, nos populum suum contra mundi impetus confirmantis acclamantisquè, *Confidite, ego vici mundum*, insigni celeusmate excitamur. *Testis classis Hispanica.* *Heb. 3. 6.* *Ioh. 16. 33.*

Proinde tonet, dum lubet, capitalibus sententiis *Romanus Iupiter*, & anathematis tanquam fulminibus terras misceat & maria, dum tantâ nos audit cum fiduciâ divinæ gratiæ auxiliique, constantem præsentiam certò nobis pollicentes. Hominis certè profani fuerit & insignitè impij, *Christi* summi & veri Pontificis sui sprevisse atque conculcasse oraculum, & adumbrati nescio cuius Pontificuli fracto atque frigido commen-

to adhæsisse.

Atqui vnde hanc nobis audaciam igitur hosquè animos addat *Christi* victoria, vt de tam ingentibus hostium copiis profligandis certi simus? Mundum enim *Christus* vicit, non nos; neque verò in rem nostram quicquam facit, esse victorem mundi *Christum*, nisi hinc nos quoque victores evadamus. Ita prorsus est: vincente *Christo* nos quoque vincimus qui *Christi* sumus; quia & ex Deo nati sumus, & fide prædi ti eâ sumus, quâ *Iesum* esse Dei filium credimus. 1.Ioh.5.4.5 *Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit Iesum esse filium Dei? Nam hæc victoria est quæ vincit mundum, fides nostra.* At nos quid hæc Apostoli verba velint non assequimur, caro & sanguis non assequimur, vel vt possit esse fides nostra victoria, vel vt illum iam vicerit mundum, cuius adhuc vincendi provinciam *Christus* nobis commendavit. Narret hæc nobis modò qui spiritus est & veritas. Fides, credo, victoria nostra, quia illum 1.Cor.1.30. induit, qui quoniam *sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio nobis a Deo factus est*, factus est igitur & victoria. Qui etiam cum mundum vicerit, perinde per fidem indutus a nobis, nos quoque mundi victores reddidit. Quare qui iubemur a

Iacobo

Iacobe Apostolo, *principi mundi diabolo resistere*, a *Petro, firmi per fidem illi resistere* iubemur; etiam a *Paulo*, (qui licet minimus Apostolorum maximo *Petro* tamen non minor) invitamur ad *scutum fidei cum primis assumendum, quo possimus omnia Mali illius ignita iacula extinguere*. Isto enim vbi tecti scuto, vniversa pariter Dei tegimur armaturâ. *Succincti continuò stamus veritatis balteo, induti thorace iustitiæ, præparatione Evangelij pacis calceati, velati galeâ salutis, gladioque Spiritus, hoc est verbo Dei armati* consistimus, & in quoscunque, sive mundus, sive dæmon, sive peccatrix caro casus invexerit, paratissimi. Ergo si obiecerit nobis Dæmon primum *Adamum* peccantem in paradiso; nos illi secundum *Adamum* pendentem in cruce obiiciemus: ille si accusator fratrum peccata nobis nostra; nos illi *peccatum pro peccatis nostris factum Christum* memorabimus: si tormenta denique, si mortem, si inferos nobis ille merentibus; nos illi vicissim tormenta *Christi*, *Christi* mortem, *Christi* inferos, nec merentis hæc quidem, sed pro nobis patientis omnia, referemus. Sin vero adhuc pergat malitiosus, mundiq; sui in nos vires concitet: cuius nũc illecebris fallat securos: nunc

Iac.4.7. Eph.6.16 2.Cor.5.2

solicitos adversis frangat; sanè mundum etiam, dona ferentem timemus, & quæ nobis possit importare mala ferendo vincimus.

Timore illo suspicioso in illecebras, istaquè in adversa mundi invictâ patientiâ nos fides victrix instruit.

Hebr. 11. 24. *Per fidem enim Moses iam grandior Pharaonicum illum quantumvis regium ornatum suspectum habuit, renuitq; vocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul malis vexari cum Dei populo, quàm temporarium tenere peccati oblectamentum.* Per fidem olim Patriarchæ, Prophetæ, & Prophetarum filii peregrinati vagatiq;, huc illuc errabundi, quibus flagella, vincla, carceres, & ipsa ludibria ludibrio fuerunt. Per fidem fideles *Christi* discipuli, quos minæ, quos verbera, quos cruces, quos secures & patibula vbiquè expectarunt, vbique ceperunt, hæc & patienter tamèn omnia & alacriter pertulerunt.

Hæc vero illi per fidem & patientiæ & fortitudinis tam præclara ediderunt documenta, quia revelante fide norũt non in patria se isthìc dum vitam in terris agerent, sed in via fuisse. Is porrò semper solet esse advenarum animus, vt malint in sua esse civitate quam aliena, & ipsum patriæ suæ fumum ampliſsimis opibus atque amæniſsimis voluptatibus aliarum regionum anteponant.

Quo

Quo patriæ ſuę deſiderio ſic exarſit Apoſtolus, dum hìc in terris viveret, vt omnia pro ſtercoribus haberet, etiam *mortem ipſam nihili faceret*, immo *religioſos votis accerſeret*, *cuperetq; ſe diſſolvi*, vt aliquando in illam cœleſtem patriam ſuam ſubvolare poſſet. Non enim fuit fortiſſimo *Chriſti* pugili obſcurũ, *quãto magis externus homo mundi vulneribus corrumpatur, eo magis internum indies renovari*, quitum demum omnibus ſuis numeris perfectus renovabitur, cum externus ille totus ſit corruptus, hoc eſt mortuus. Eo fidentiùs ſe & ſæpiùs idem ab omni laude fœliciſsimus Apoſtolus, in oppreſsionibus, in neceſsitatibus, in anguſtiis, in verberibus, in laboribus ad omnes gloriandi partes excitat, facitquè vt in illis mirabilibus ſua exultet oratio antithetis; *Dolentes, ſemper tamen gaudentes; pauperes, ſed multos ditantes; nihil habentes, ſed omnia obtinentes; morientes & ecce vivimus*; etiam vitam verè vitalem vivimus, cum hanc mortalem exuamus.

Phil. 1. 23.

2. Cor. 4. 16.

2. Cor. 6. 9. 10.

Proinde nos quoque, Patres & fratres, tanto nobis præeunte Apoſtolo, conſtanter propoſitum nobis ſtadium decurramus, fide in illam ingredientes pugnam, in quam fidei dux & perfector ingreſſus eſt *Ieſus*, qui pro ſibi propoſito throno & gaudio pertulit crucẽ, ignominiâ contemptâ, & ad dexteram throni

2 Tim. 2, 12. ni Dei consedit. Nos *si cum eo patiemur, etiam cum eo regnabimus, at si abnegabimus, & ille abnegabit nos.* Fidus est hic sermo. Atqui absit, iterum, dico absit vt abnegemus, ac non potius pro suavissimo servatore nostro, & si, vnquam cuiusquam, nunc quidem certè nostro liberas animas demus, cui eas debemus. Recordor sæpius illius temporis, quo *Romanus Scipio*, fulmen belli & *Italiæ* præsidium, gloriosè respondent, nulla se re fretum alia exercitum in *Africam* traiecisse, quàm trecentis fidelissimis quibus stipabatur militibus, quorum nullum esse asseverantiùs dicebat, qui non ipso iubente se de celsa turri præcipitem esset in mare deiecturus. O vocem ducis fidentem, O sanctam exercitus, si *Christo* non *Scipioni* militaret, religionem. Avet animus in hac armatorum corona pro fide dicere. Talibus exemplis veterem orbem divitem reperio & abundantem, quorum nominibus monumenta annalium aucta in magnum numerum excreverunt, vt nos pudeat in nostris historiam tam parcam esse. Pro *Scipione* illi, quod non nos pro *Christo*, illi pro mortali duce, quod non nos pro immortali Deo, illi nullam post mortem sperantes vitam, ad mortem tamen tam præcipites, nos qui nullam nisi post mortem vitam cogitamus, tam tardo & testudineo gradu ad illam rep-

reptantes trahimur? Austrinè regina *Sabæa* surrectura in præfractos *Iudæos*, ac non etiam isti multò magis trecenti *Scipionis* milites in imbelles Christianos? Cæterum in illa nos incidimus durissima tempora & vltima, cum quæsiturus venerit filius hominis in terris fidem, nec inventurus tamen quæsitam. Fugarunt illi, qui non acuunt alii alios ad charitatem & bona opera, sed deserentes aggregationem mutuam rixis discordiisque domesticis læti, & Angelis Dei & spiritui sancto triste spectaculum toties exhibuerunt. Profectò *Madianitico* furore perciti, quos in Satanam, in mundum, in peccatum oportuit, *fratres in fratrũ pectora gladios obvertimus*. Tantúmne verò nobis est à rebus nostris ocii, vt invadamus aliena? Ita nobis ab illis infernis copiis secura pacataquè omnia, vt etiam cordi nobis voluptatiquè sit, *Christi* membris *Christi* membra qui sumus, bellum indicere. *Iud.7.*

Periculosè dico, & quemadmodum accepturi sitis, patres, nescio, sed pro mea tamẽ perpetua cupiditate dignitatis vestræ, & huius florentissimę Academię tuendę augẽdęq; dico, & quæso oroquè vos per omnes charitates, & pia *Christi* in vos viscera, vt sine offensione accipiatis quod dixero. Vos in hac custodia vt in specula estis collocati, vt à disidiis

liberum *Christi* populum vestrâ vigiliâ & prospicientiâ præstetis. Turpe est summo consilio nostræ Ecclesiæ in rebus tantis præsertim tamq; confessis, consilium intelligi defuisse. Fuit autem vestri consilij quam longissimè providisse, ne in hanc præliorum nostræ ecclesiæ civilium materiam seditiosa fax adhæresceret, cuius flammis vbi semel vrbes colluxerint, pacis desperata omnis atq; deposita ratio est. Non opus involatus alitum oscinumquè siniſtros cantus cum delira *Hetruria* observare; res intueor, virorum mores contemplor, vices & cursus replico superioris memoriæ. Ista mihi dissidia narrant, ista explicant discordias, & omnium potius quam exitiorum exitus ominantur. Has sicas in sponsam *Christi* distringunt illi, qui sui cerebri abrepti vertigine, quasq; novas à se cusas opiniones tanquam filiolas suas ita dissuaviantur, & impotente amore depereunt, vt illas modò suis popularibus venditare liceat, nulla pericula reformident, turbas ecclesiæ tantuli faciant maximas, rupta deniq; illius fraternæ charitatis vincula, quam vnam, preq; omnibus vnam, esse voluit nobis Servator è terris discessurus commendatissimam, haud quicquam curent. Vnde incisis caritatis nervis tot sectę, tot sensa, tot sentientium & dissentientium dogmata, ex officina vanitatis

&

& ſuperbię patentibus portis proruerunt; vt noſtris iam cervicibus non *Hiſpanum*, non *Turcam* barbarum, non vllum in terris hominem, ſed illum è Tartaro, cui tamen ipſe non credit Tartarus, indies imminentem timeamus Atheiſmum. His enim diſcordiarum civilium iniectis laqueis, incautos minimeque cogitantes homines in tam flagitioſas fraudes dęmō pellexit, vt quaſi hoc ſolum illis in religionem veniſſet, vel omnino nullam eſſe religionem cogitare, vel quam eſſe cogitarēt ac ſi non eſſet contemnere; nullis exterriti aut periculoſis priorū ſeculorum exemplis, aut diris ęvi prętentis ominibus, quęque tremendi numinis ſevera iudicia in opinionum commentis numerent. Tamennè hìc vos ſtatis ocioſi? Tamennè vos vobis applauditis ipſi domi, & quaſi veſtrâ nihil hoc interſit, in communi populariū veſtrorum gemitu & iuſtis querelis ſecuri in alteram aurem obdormiſcitis? Non patitur mea de vobis fides, illaq; quâ erga vos afficior maxima, minime ſuſpicioſa charitas iſta credere. Credo potius ita vobis ducibus, magiſtris & magiſtratibus huius Academię, qui maiori quam *Plato* ſuę quoq; magiſter Academię eſtis aflati lumine, illa duo aureola *Platonis* Academici prędecepta & in mentibus eſſe, & in actionibus exercitari, vt tum vtilitatem civium ſic curetis, ſic

ametis,

ametis, sic tueamini, vt quicquid agatis vel moliamini, ad eam totum conferatis oblitæ commodorum vestrorum, tum etiã toti matri corpori reipublicæ, vestræ tanta cura prouideatis, ne parte aliqua seruata, reliquæ neglectæ deserantur.

Evigilate igitur reverendi Patres, excubateque animis, & in partes omnes cum *Christi* sponsa & *Christo* mentes intendite, medicasque manus, medicinæ dum faciendę locus & tempus, admovete. Ecce qui *Laodicensium olim stetit ad ostium*, ad ostium nunc *Oxoniensium* stat & pulsat, vosque ad alia vocat magis glorioſa cum dæmone & mundo certamina relictis civilibus. Aut vero si civilia etiam tantopere expetatis, vt hæc in carnem vestram, in membra iniustitiæ vestra, in corpus mortis vestrum exerceatis iubet: Oculi enim vobis vestri hostes sunt, hostes manus, rebellis & hostis caro vestra. Vestros eruite oculos, non alienos; manus vestras nõ alienas abscindite; vestram vos deniq; non alienam carnem iubente *Christo*, hortante Apostolo, oppugnate, subigite, occidite. Fratribus autem fratres, hoc est, carni *Christi* & *Christi* sanguini vos qui caro estis de *Christi* carne, & de *Christi* ossibus ossa, & de *Christi* sanguine sanguis, parcite. Illa sunt, non hæc, bella Domini, quæ manus nostrę & digiti Deo docente gerant.

Revel. 3. 20

In

In illis, si fides nostra contra domesticas carnis & peccati insidias pœnitentiâ, contra dæmonis & mundi vires patientiâ pugnaverit: legitimè profecto pugnamus, fidei præclarum certamen decertamus, & *Christo* duce & victore nobis succurrente vincimus. Vincentibus autem, en nobis vt vincẽti *Christo* apertos cœlos, en arborem vitæ, en coronam vitę, en manna absconditum & nomen incognitum, en gentium rectricem virgam ferream, en columnam in templo Dei, en novum nomen *Christi*, en thronum *Christi*, vt cum *Christo* rege & iudice mundi, nos mundi quoque reges & iudices, non *Christo* pares quidem gloria, sed *Christi* tamen pro modulo captuq; nostro glorię participes ęternum reportantes triumphum sedeamus. Ita fiet viro illi cuius honore delectatur rex gloriæ. Regi igitur gloriæ æterno *Christo*, vni cum patre & sancto spiritu immortali, invisibili, soli sapienti Deo, omnis honor, & gloria, & potestas, & victoria, & thronus, & regnum in secula seculorum.

Amen.